

G suae bona habens: insidians nescit alienis, nec auaritia fa-
cibus inardescit: cui lucrum omne ad virtutem dispen-
dium est, ad cupiditatem incendiū. Et ideo beata est, si
bona sua nouerit, cum veritate paupertas, & omnibus
praefenda thesauris: quia melius est exiguum cum dei
timore, quam thesauri magni sine timore eius. Quantum est
enim quod hominem alat? Aut si quaeris quod etiam
aliis abundet ad gratiam, id quoque non multum est. Me-
lior enim est hospitalitas in oleribus quam gratia, quam vitulo-
rum pinguium praeparatio cum discordia. Nam tamur er-
go ingenio ad quaerendam gratiam, & salutem tuendam:
non ad alienam circumscribendam innocentiam. Licet
nobis uti exemplis maritimis ad profectum nostrae sa-
lutis, non ad alienum periculum.

De praesentia Echini maritimi, futuram tempestatem
aut tranquillitatem nauigantibus praenunciantis: & unde
tam exiguum animal hoc munus accepit. Ac de
indulgentia dei creatoris ingenti praecoquio. Cap. IX.

De Echino.



ECHINVS animal exiguum, vile ac despi-
cabile, maritimum liquor, plerumque index fu-
turae tempestatis aut tranquillitatis annun-
ciatoris solet esse nauigantibus. Denique cum pro-
cellam ventorum praesenserit, calculum validum arripit:
eumque velut saburram vehit, & tanquam anchoram tra-
hit, ne excauet, ne eos imparatos turbo improuisus inue-
niat. Qui Mathematicus, qui Astrologus, quiue Chal-
daeus sic potest siderum cursus, caeli motus & signa con-
prehendere? Quo ingenio ista collegit? quo doctore per-
cepit? quis ei fuit tanti interpretis augur? Saepae homi-
nes confusionem aeris vident, & saepe falluntur, quod
plerumque ea sine tempestate discutitur. Echinus non
fallitur, Echinus sua nequaquam signa praetercunt. Unde
exiguo animali tanta scientia, ut futura praenunciet?
Quo magis in eo nihil est quo tantam habet prudentiam,
credo quod per indulgentiam domini retri omnium
id quoque praesentia huius gratia praesentia? Nihil enim
foenum deus sic vestit, ut miremur: si pascit volatilia: si
parauit corus escam: pulli enim eius ad dominum da-
mans: si mulieribus dedit texturam sapientiam: si araneam,
quam tam subtiliter ac docte laxos castes suspendit in fo-
ribus, sapientiam non reliquit immunem: si ipse virtutem
equo dedit, & soluit de ceruice eius formidine, ut exul-
tet in campo, & occurrere regibus irrideat, odoretur bel-
lum eminus, excitetur sono tubae: si haec irrationabilia
pleraque, & alia insensibilia, ut foenum, ut lilia, repleuit suae
dispositione sapientiae: quid dubitamus quod etiam E-
chino contulerit huius gratiam praesentia? Nihil enim
inexploratum, nihil dissimulatum reliquit. Omnia vi-
det, qui pascit omnia: omnia replet sapientia, qui omnia
in sapientia fecit, ut scriptum est. Et ideo si Echinum vi-
sitationis suae exortet non praetermisit, si eum considerat, &
futurorum informat indicis, tua non considerat? Immo ve-
ro considerat, sicut testatur eius diuina sapientia dicens:

Math. 6.

Si respiciat volatilia, si pascit illa, nonne vos pluris estis
illis? Si foenum agri, quod hodie est, & cras in igne mit-
titur, deus sic vestit, quanto magis vos modicae fidei?

Quod unumquodque genus piscium praescripta sibi ha-
beat domicilia, cum increpatione humanae auaritatis.
Qua ratione etiam quaedam genera quandoque mutant lo-
ca, & unde hoc habeat ingenium. De specialibus quoque
aliquorum piscium virtutibus. Caput X.



AN vero sine quadam dote naturae manere piscibus
etiam illa putamus gratia, quod unum-
quodque genus piscium praescripta sibi domi-

ilia habet, quae sui generis nullus excedat, non incurset
alienus? Quis geometra his diuisit habitacula, nullis
rumpenda temporibus? Sed geometra audiuius, thal-
lassometram nunquam audiuius, & tamen pisces men-
suram suam norunt: non muris urbium, portibus praes-
criptam, non aedificiis domorum, non agrorum fini-
bus limitatam, sed mensuram eius quod oportet, ut tan-
tum satis sit unumquodque quantum ad usum abundet, non
quantum auaritas quaedam immoderata sibi vendi-
cet. Lex quaedam naturae est, tantum querere quantum
sufficiat ad usum, et alimenterum modo fortem cen-
sere patrimonii. Hoc genus piscium in illo sinu maris
alitur & gignitur, illud in alio. Denique non reperies con-
fusa genera piscium, sed quod hic abundat, alibi deest. Et
iterum ille sinus maris cephalos alit, lupos ille: ille saxati-
les, locustas alius. Non est libera vagandi potestas, nec
tamen interclusa montibus copia, aut fluuiis interlaben-
tibus transitus impeditur, sed usus naturae impressus
tanquam patris finibus unumquodque se retinere, & ultra in-
colas prodire suspectum. At nobis longe alia sententia
est, mutare exilio domos, incolarum fastidio teneri, ad-
uenarum captare gratiam, transferre terminos perpe-
tuos, quos posuerunt patres nostri, agrum ad agrum
iungere, domum ad domum. Deficit terra hominibus,
sternuntur & maria. Rursus pro singulorum libidine in-
ciditur terra, mare infunditur, ut infusas faciant, ut pos-
sident freta, spatia maris sibi vendicant iure mancipii,
pisciumque iura sicut venaculorum conditione sibi serui-
tium subiecta commemorant. Iste inquit sinus maris meus,
ille alterius. Diuidunt elementa sibi potentes. His otre
in fluctibus nutritur, his in viuano piscis includitur.
Luxuriae nec mare sufficit, nisi apothecas habeant os-
strearum. Itaque aetates earum numerant, & piscium
receptacula instruunt, ne conuiuia diuitis mare non pos-
sit implere. Nam vicini nomen quibus audiunt auri-
bus: quibus oculis intuentur possessiones eorum? Quae
admodum dies non desunt excogitant ut aliquid proximi
auferant? Nunquid soli habitabitis super terram? Etsi.

Etsi.

De Cetis.

M

clamat Propheta. Cognoscit haec dominus, & vindictam
referuat. Quantum aliena a piscibus auditatis ras-
pinae? Illi naturalia captant secreta, & ultra terminos or-
bis terrarum mare norunt, quod nulle interpolant insu-
lae, nec terra aliqua interiacet, vel vitiosus vlla sit posi-
ta. Illicigitur ubi diffusum late mare omnem specta-
di usum, utilitatis gratia nauigandi intercludat auda-
ciam, condere se feruntur cetera illa immanis genera pi-
scium, aequalia montibus corpora, ut tradiderunt no-
bis qui videre potuerunt: illic quietum quum exigunt,
discreta ab insulis, et ab omnibus maritimarum vrbium
contagiis separata. Habent suas regiones, & habitacula
distributa, manent in his inoffenso vicinorum limi-
te, nec vago transitu mutationes querunt locorum, sed
tanquam patrum solum diligunt, & in his immorari
dulce arbitrantur. Quae ideo elegerunt, ut solitariam
vitam remota possint arbitrorum interpolatione trans-
igere. Sunt tamen aliqua genera piscium qui non in-
genii facilitate loca mutant, sed fouendi partus necessi-
tate, quae opportuno atque legitimo procurantes tempo-
re, ex plurimis locis a diuerso sinu maris innumeri ve-
lut communi consilio conuenientes, conuincto agmine
Aquilonis status petunt: & ad illud septentrionalium
mare partium quadam naturae lege contendant. Dicas, si
ascendentes videas, Rheuma quoddam esse, ita proruit,
fluctusque intersecant, per Propontidem in Euxinum Pon-
tum violento impetu profuentes. Quis piscibus haec
annunciat loca, praescripta tempora? Quis tribuit dispo-
sitionem viandi, comitandi ordinem, metas, & tempo-
ra reuertendi? Homines suum imperatorem habent,
cuius expectatur imperium, procedit tessera, proponuntur
edicta provincialibus, ut conueniant, Tribuni mi-
litum litere diriguntur, dies statuitur, & plerique ad dies